Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

incredibile, quod audivi a fidelibus gesta prodam. De revelatione capitis eius. II.

Quodam namque tempore dum ad occursum beati Niceti antistitis usque Lugduno processissem, libuit animo, non aliter nisi orationis causa Viennam adire, et precipue sepulchrum visitare Ferreoli martyris gloriosi. Insederat enim mihi propter antiquam dilectionem eorum me sic esse eius alumnum ut Iuliani. Denique oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos: Heroas Christi geminos hec continet aula, Iulianum capite, corpore Ferreolum. Cumque hec legens edituum consulerem, cur hec scripta sic fuerint, respondit: Basilica sancti martyris Ferreoli super ipsum Rodani litus ab antiquis fuerat collocata. Deinde cum impulsante violentia amnis porticus que ab ea parte erat locata corrueret, prudens sacerdos Mamertus nomine, qui tunc Viennensem regebat ecclesiam, ruinam futuram preveniens, aliam basilicam eleganti opere et in ipsa mensura sagaci intentione construxit. Illuc sanctum martyris transferre cupiens corpus, advenit autem ad hoc opus abbatum atque monachorum magnus numerus. Vigilataque nocte accepto sarculo fodere ceperunt. Cumque in profundo descenderent, tria sepulchra repperiunt. At confestim stupor mentes spectantium invadit, nec quisquam erat certus quisnam esset beati martyris tumulus. Igitur cum omnes in hebetitate mentis attoniti, inspirante ut credo divinitate, unus ex circumstantibus exclamabat dicens: Antiquitus constat relatum et celebre per populos sermone vulgatum, caput Iuliani martyris in sepulchro retineri Ferreoli martyris. Si optio amoto unusquisque consideret, potest que sint membra Ferreoli martyris inveniri. Hec audiens sacerdos, cunctos iubet in orationem prosterni. Qua impleta procedit ad tumulos, detectosque duos singulos in his quiescentes invenit viros. Cumque aperuisset et tertium, invenit in eo virum iacentem illeso corpore, integro vestimento, qui deciso capite caput amplexus aliud brachio retinebat. Erat enim ac si nuper sepultus, neque pallore faciei demutatus, neque decisione turbatus, neque ulla putredine resolutus, sed ita integer et illesus, ut putares eum adhuc sopore corporeo detineri. Tunc antistes gaudio repletus ait: Hoc cadaver Ferreoli, hoc esse caput Iuliani martyris dubium non habetur. Tunc cum magno psallentio plaudente populo in loco ubi nunc adoratur domino annuente producitur. Hec autem ut ad sepulchrum martyris ab ipso edituo cognovi, fideliter retuli. Prebet tamen huic operi testimonium Sollius noster ipsi Mamerto scribens his verbis: Tibi soli concessa est in partes orbis occidui martyris Ferreoli solida translatio, adiecto nostri Iuliani capite. Unde pro compensatione deposcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quo a vobis hinc redit pars patroni. De virtute fontis ubi caput eius ablutum est. III.

In loco autem illo quo beatus martyr percussus est fons habetur splendidissimus, lenis, dulcibus aquis et uberrimus, in quo et a persecutoribus caput amputatum ablutum est. De quibus aquis multe sanitates tribuuntur infirmis. Nam sepe cecorum oculi ab his tacti illuminati sunt. Tertianorum quartanorumque febrium accessi ut potati fuerint, qui patiuntur conquiescunt. Nam et si quis gravi laborans incommodo, inspirante martyre desiderium habuerit hauriendi, protinus ut hauserit convalescit, et ita velociter extinguitur vis febris, ceu si videas super immensum rogum proiectis undis incendia universa restingui. De senibus et matrona cuius vir tenebatur. IIII.

Post passionem vero beati martyris et fama percurrente de senibus qui dum sanctos artus sepulture mandarent fortitudini pristine fuerint restituti, multa ibi beneficia expetentes credentesque indulgentiam martyris consecuntur. De quibus pauca perstringenti deprecor veniam condonari, quod me minus ydoneum vel peritum ad hec narranda cognosco, nec imbutum grammaticis artibus nec litteris liberalibus eruditum. Sed quid facio? Quod impellit me amor patroni ut nequaquam hec silere. Vinctus quidam ab Hyspaniis et carceri deditus apud imperatorem Treveri cum capitali sententia diiudicatus tenebatur. Quod coniunx illius cognitum, dum tumulare viri membra festinat, ad Brivatinsem vicum pervenit. Repertosque viros diversa studio intento rimaretur, cognoscit quod in eo loco vel de martyre vel de senibus fuit gestum, fideliumque insinuatione credens ad sepulchrum beati martyris debebat properare, ut causas suggerat, casus referret, vel cunctum laborem sui labo doloris exponat. Asserentibus vero preterea hominibus absque dubio pollicemur domina tibi a martyre reddi letitiam, qui senum quondam decrepite etatis membra rigentia antiquo vigore restituit. Impletaque hec oratione promittit, ut si sospitem reciperet coniugem, martyris sepulchrum in quo possit spacio cemento contegeret. Mox fide plena et de martyris pietate secura Treverensem est ingressa. Inventumque virum gratia imperiali receptum leta regreditur, inquirensque tempus quo vir relaxatus esset ex carcere, agnoscit hanc esse absolutionis horam, qua illa martyris est auxilium imprecata. Dehinc pollicitationem quam promiserat in missis cum muneribus adimplevit. De eo qui alium in basilica occidere voluit. V.

Erat autem haut procul a cellula quam super sepulchrum martyris hec matrona construxerat grande delubrum, ubi in columpna altissima simulachrum Martis Mercuriique colebatur. Cumque delubri illius festa a gentilibus agerentur ac mortui mortuis thura deferrent, medio e vulgo commoventur pueri duo in scandalum. Nudatoque unus gladio alterum appetit trucidandum. At ille cernens nichil venie reservari, et ad ius sui non defensari, nec religionis custodiam, nec confessionis veniam, nec institutionis medelam, cupiens cellulam expetit martyris gloriosi. Tunc ille qui sequebatur cum pereuntem gladio cum non potuisset attingere et hic super se ostium reserasset, atque ille arreptam utrumque postem conaretur infringere, ilico adherentes manus tabulis dolore maximo quatiuntur, et tanta afflictione miser torquetur, ut uberrimam fluentes lacrime qualis esset dolor intrinsecus extrinsecus nuntiarent. Interea stupente vulgo qui inclusus fuerat liber progreditur. Parentes quoque illius qui virtute sancti retinebatur, cognoscentes martyris sepulturam, devoti multis muneribus pro filio exorabant. De conversione incolarum. VI.

Factum est autem dum hec agerentur, ut presbiter quidam via illa

79